



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Rudolpho, qui illotis manibus timuit tangere aspensorium, cap. 92.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

vel quid per septem soles videtur tibi intelligendum?  
**CÆSARIVS** : Per circulum eundem intelligo æternitatem sancti Spiritus, per septem soles, septem eius dona, quibus bono exemplo eiusdem congregationis prouincia erat illuminanda.

## CAPVT XCII.

**Q**uidam Conuersus, qui cum eodem conuentu missus est, Rudolphus nomine, vir bonus ac religiosus, cum die quadam de priuata veniens, illotis manibus oratorium nostrum intraret, & ex ordine se aspergere teneretur, intra suas cogitationes dicere cœpit: Aqua hæc sancta est & benedicta, nec decet vt manibus immundis te illa aspergas: cui mox in aère vox clara respondit: Quod ego mundavi, tu non potes polluere. Et cognouit ibi, magis Deo displicere immunditias cordis, quam corporis: in animæ puritate Deus delectatur.

## CAPVT XCIII.

**M**onacho cuidam Deus ostendere volens animæ suæ puritatem, in excessum mentis illum adduxit: in quo excessu puerum pulcherrimū intra sua viscera cōtemplatus est. Ad se autē reuersus, intellexit eundem fuisse animā suā, Dei munere ab omni labe criminū mundatū: puer enim a puritate dictus est. **APOL.** Puto quòd nō sit tutū, si homo multis cōsolationes suas manifestet. **CÆS.** Per multos labores & tentationes, & hoc secretè, diuinæ consolationes adipiscuntur, & facilè, manifestatæ, subtrahuntur. **Vtrumq;** verum esse, singulis tibi ostendā exēplis.

## CAPVT XCIV.

**D**vm nuper, hoc anno scilicet, in quadam domo sanctimonialium ordinis nostri, a celleraria per totum conuentum pietantia, id est oua frixa, diuiderentur, nescio quo casu, vna ex eis neglecta est: non tamen arbitror actum casu, sed diuino nutu, vt Dei gloria manifestaretur in illa; patientissimè autem defectum illum sustinens, in dō neglectam se gratulans, cum Deo gratias referreret, summus ille Abbas inuisibilem ei pietantiam misit: cuius inenar-